



**De jure successione regiae in regno Lusitaniae seu  
Portugalliae, de que legitima regis Antonii successione :  
brevis enarratio, ex probatissimis monumentis auctoribusque  
collecta, & ad rectae rationis simplisque veritatis regulas  
accuratissime exacta**

<https://hdl.handle.net/1874/9394>

DE IVRE  
SVCCESSI  
SIONIS REGIÆ

IN REGNO LVSITANIÆ

SEV PORTUGALLIAE, DE QVIS  
legitima Regis ANTONII Successione,

Brevis enarratio, ex probatissimis monu-  
mentis auctoribusque collecta, & ad re-  
ctæ rationis simplicisque veritatis regu-  
las accuratissimè exacta.

*In gratiam studiosorum iustitia & equitatis,  
nunc primum in lucem edita.*



MIDDELBURGI,  
Apud Richardum Schilders, Typogra-  
phum Ordinum Zeelandiæ.

ANNO XCI.

# AD BENEVOLVM LECTOREM.



V M animaduerterem (bene-  
uole Lector) in quantis erro-  
rum tenebris, falsisq; opinioni-  
bus homines hoc tempore ver-  
sentur, solum quia falsa pro  
veris, ipsis obtruduntur, ab impostoribus, hu-  
mani generis pestibus: maximo eorum dam-  
no & dispendio, quorum causa resq; agitur:  
Videremq; numero sc̄pius usuvenire, ut bo-  
na causa inqua censeretur, quod iura eius  
non essent intellecta: Tum amor studiumque  
veritatis, & dolor iustissimus qui memourit,  
cum iustitiam (nulla equi aut iuris habita-  
ratione) ob simplicitatem suam cernerem vio-  
lari, opprimi, pedibus conculcari, indignissi-  
mis denique modis tractari, ab iniustitia ar-  
mata: (quā teste Philosopho interris nihil est  
intolerabilius.) Facere non potui, quin in gra-  
tiam omnium qui in aliqua reipub. parte  
administranda versantur, iustitiaeque mini-  
stri à Deo constituti sunt, aliorumq; qui ve-  
ritate delectantur, tractatum hunc in lucem  
ederem. Ut, eo intellecto, melius aquinsque  
possint iudicare, quam maior hominum pars  
hodie, qui, aut, quod partis alicuius studio se  
addixerunt, nihil possunt, aut volunt credere

4 AD LECTOREM.

aliud, quam quod pro se suisque facit: aut ita  
externa specie, splendore que decepti sunt (que  
mera sunt vanitates) ut planè indicium omne  
amiserint. Oratum propterea his tevolui (Le-  
ctor candide) ut tuū animū huc ab omni per-  
turbatione, affectu, aut partis studio vacuum  
afferas, spero que fore, ut antequam librum  
ponas, ab eiusque lectione discedas, tuo calcu-  
lo nostram approbaturus sis sententiam: Et  
si quedem forte, hac de re inaudieris, multo de  
omnibus sis futurus certior, inque rei veritate  
confirmatior. Qui solus actionis & instituti  
huius nostri finis est & scopus. Monendus  
praterea mihi es, quod quoties occurret occasio  
loquendi de proximo Regni herede, quem Lu-  
sitani & Hispani infantem nominant, nos eodem  
verbo (Infans) usuros ne à consuetudine  
ab Historicis recepta hac in re discedamus.  
Vale Lector candide. Cal. Martij. 1591.

DE IURE  
S V C C E S S I O N I S  
R E G I A E I N R E G N O L V-  
S I T A N I A E S E V P O R T U G A L L I A E,  
Deque legitima Successione Regis  
A N T O N I I.

S E R M O P R I M V S.



V o d lex illa quam Galli vocant **S A L I-  
C A M**, semper fuerit obseruata in **L v s i-  
T A N I A**. Quodque propterea **R e x C a-  
i t e l l a e P H I L I P P V s**, nihil possit habere , aut prætendere juris, seu actionis , ad Coronam Regni Portu-galici.

Iurisconsulti moderni, docti que huius nostri sæculi grauiter errant, multumque falluntur , dum existimant Iurisconsultos veteres, eorumque successores, legibus & Constitutionibus suis ita plenè, abunde q. omnibus difficultatibus, & controuersijs, quæ incidere possent , prospexisse : vt nullus in posterum casus vsuuenire posset, de quo nō ex earum præscripto statuere certi quid valerent. Nec minus peccant , ma-

6 DE IURE SUCCESSIONIS  
leque operam collocat, dum tempus omne in exponendis & interpretandis istiusmodi legibus consumunt: laudem inde nescio quam, & nomen ambitiosè captantes, virorum doctorum, & magnorum jurisconsultorum. Cum multo præstaret, eos animum excolare prudentia, quæ nascitur ex cognitione multarum rerum, & exemplorum, quæ iudicium parant aptiusque reddunt ad melius sentiendum, & censendum de rebus præsentibus & futuris.

Hi homines sibi persuasum habent, se, scientia illa quam ex dictis Legibus, antiquisque constitutionibus didicerunt, posse iudicare de quo quis casu futuro. Quod cum sit falsum, falli etiam eos in hoc est necessarium, ut manifestè appareat, & clarius multo quam vlla aliâ in re, in *Quæstionibus de Iure Successionis Regiae in aliquo Regno.*

Notandum enim hic est, antiquissimos jurisconsultos tempore Romanorum vixisse. Romæ, eos vero, qui post subsequunti sunt, tempore Iustiniani Imp. (qui ius ciuile compilari & in unum volumen digeriri iussit) fuisse Constantinopoli.

Quo tempore cum maior & potior Europæ pars esset sub Imperio Romanorum (qui vniuersalem orbis Monarchiam sibi vendi-

vendicabant) nullum Regnum pro legitimo ab eis est habitum, ideoque nullam legem de jure Successionis Regia in aliquo Regno, scriptis mandataim reliquerunt.

Nam quod ad Reges Gotthos & Francos attinet, illi habebantur pro usurpatribus terrarum, & ditionum, quæ pertinebant ad Imperium, vocabanturque Tyranni & iniusti possessores. Hinc factum est, ut Iurisconsulti illius temporis nunquam de jure legitimæ successionis, in istiusmodi Regnis tractarint, quia videlicet eorum possessiones, ut injustas & Tyrannicas existimabant.

Atque hæc causa est, cur Iurisconsulti moderni sine vullo sint exemplo & præjudicio quod sequantur, aut lumine quod in istiusmodi casibus prælucere illis posset. Nihil enim à prædecessoribus suis hac de re scriptum inueniunt. Quæ res occasionem dedit variarum & diuersarum inter eos opinionum, dum alij ius Successionis Regiæ simile facere voluerunt juri fendorum, alij vero alij &c.

Quod si autem ex præscripto recte rationis juris & æquitatis examinare voluerimus, quæ Successio sit legitima in aliquo Regno: Et quódnā sit ius illud, quod in unoquoq. Regno vim legis habere debat, inueniemus istiusmodi leges nun-

**8 DE IURE SUCCESSIONIS**  
quam à veteribus Iurisconsultis, scripto  
fuisse compræhensas, sed certis quibus-  
dam moribus & consuetudinibus consti-  
tutas esse & fundatas, quæ multis annis  
obseruatæ, multisque exemplis confirma-  
tæ, auctoritatem legum sunt naætæ. Haæ  
itaque consuetudines, temporis spatio  
auctoritatem inter homines obtinuerunt,  
plurimisque exemplis inductæ, & confir-  
matæ legem constituerunt.

Quod pluribus argumentis locisque  
tam Iuris Civilis, quam Historiæ, mani-  
**L. De quibus** festè potest demonstrari. In jure quidem  
**31. D. de leg.** Ciuii l. 31. D. de Legibus sic ait: Iuris.  
» De quibus causis scriptis legibus non vti  
» mur, id custodiri oportet, quod moribus  
» & cōsuetudine inductū est. Et paulo pōst.  
» Inveterata enim consuetudo, pro lege  
» non immeritò custoditur. Et hoc est ius,  
» quod dicitur moribus constitutum. Nam  
» cùm ipsæ leges, nulla ex alia causa nos te-  
» neant, quam quod judicio populi rece-  
» ptæ sunt, meritò & ea quæ sine ullo scripto  
populus probauit, tenebunt omnes. Nam  
quid interest suffragio a populus voluntati-  
tem suam declaret, an rebus ipsis & b fa-  
ctis.

a Id est con-  
sensu in scri-  
ptis Ioan.  
b Id est con-  
suetudine.

Quare rectissimè receptum est, vt leges  
non solo suffragio legislatoris, sed etiam  
tacito consensu omnium, per desuetudi-

nem

REGIAE PORTUGALLIE. 9  
nem abrogentur.

Ex quibus verbis legis appetet diuturnam consuetudinem, non modo vim habere legem constituendi, sed & abrogandi. Nudi enim consensus obligatio, contrario consensu dissoluitur.

Idem probatur ab Vlpiano l. 32. De legibus. Diurna (inquit) consuetudo pro jure & lege in his quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.

Item ab Hermogene his verbis: Sed ea quæ consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata velut tacita ciuium conuentio: non minus quam ea quæ scripta sunt jura servantur. Quas leges Paulus summus Iurisc. textu l. 35. cod. tit. ita confirmat.

Inimicorum magnæ auctoritatis hoc ius habetur quod in tatum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere.

In Historia vero plurima sunt exempla ad hanc rem facientia, quorum duo tantum instituto nostro maximè inferuientia recitabimus. Primum Lacedæmoniorum, apud quos hujusmodi lex consuetudine firmata (ut loquuntur Iurisc.) in successione Regia fuit. De qua Aemil. Probus in gesilao sicscribit. Mos est à maioribus traditus, ut duos haberent Reges, ex duabus familijs proclis & Eurysthenis. Ha-

l. nihil 104. 33

l. omnia qua  
100.

l. 102. qui ve-  
tante ff. eius  
est. D. De re-  
gul. iuris.

l. 32. de leg.

l. 34. eod. tit.

l. 35. eod. tit.

l. 39. de leg.  
Aemilius Pro-  
bus.

Lex Sparta-  
na de Iure  
Successionis  
Regie.

A s r u m

10 DE IURE SUCCESSIONIS  
rum ex altera in alterius locū Regem fie-  
ri non licebat. Itaque vtraque suum reti-  
nebat ordinem. Primus in eo habebatur,  
qui maximus natu esset ex filiis eius, qui  
regnans decessisset. Sin is virilem sexum  
non reliquisset, tum deligebarur, qui pro-  
ximus esset propinquitate. Hactenus ille,  
ex quo intelligimus non modo filias Re-  
gis aut neptes, ab illis Regijs successioni-  
bus exclusas fuisse, verum etiam mares ex  
ipsis prognatos: quoniam alioquin Reg-  
num, quod Heraclidarū familiæ despon-  
sum, ac destinatum antiqua lege fuerat,  
in ea familia conseruari non potuisset.  
Atque hæc quidem lex Lacedemoniorum  
in scriptis aut tabulis non fuit, sed per  
manus tradita. Absurdumque valdè fu-  
isset querere ex Lacedemonijs, vbi legem  
illam scriptam reperissent, quam antē ho-  
minum memoriam, vniuersi populi con-  
sensus approbarat, qui ad legem condens-  
dam (vt ex l. 3. i. D. de legibus supra osté-  
dimus) sufficit.

Secundum exemplum est Francorum,  
apud quos similis lex est, appellata Salica,  
qua in veterata consuetudine cautum est,  
*Ne virgo néve mulier ad Regni successio-*  
*nem admittatur, sed heredes tantū masculi,*  
*directo per liniam masculinam descen-*  
*dentes, cum prærogatiua primogeniti.*

Cu-

Feminae non  
succedunt in  
Regno Laced.

l. 3. i. de Legi-  
bus.

Lex Salica  
qua mulieres  
ad Regni heredi-  
tate accentur.

Cuius rursum Legis siue Salicæ siue Frâcicæ caput nullum antiquitùs scriptum extat, sed meræ est consuetudinis, exemplis, nō scripto probatae, & iam per sexcentos annos, contradictis aliquot iudicijs, obseruatæ, cuiusmodi consuetudinē vim legis habere ex Ll. & 33. & 38. D. de legibus est manifestissimum. De qua consuetudine Cosinus Guimerius, Regis Gal. quondam secretarius, sic ait.

Regnum Franciæ est ita nobile & clatum, quod in eo nunquam succedit fœmina. Et huiusmodi quæstio orta fuit post mortem Philippi Pulchri Regis Francorum, qui habuit vnam filiam, nomine Isabellam, & tres filios. Dictam Isabellam duxit in vxorem Eduardus Rex Angliæ, ex qua habuit vnum filium, qui similiter dictus est Eduardus. Tres enim filij fuerunt Regis Franciæ, qui sigillatim tandem decesserunt sine liberis: Quibus successit in regno Franciæ Philippus, filius Caroli de Valefio, fratri dicti Philippi, de consensu & approbatione 12. Parium Franciæ, qui noluerunt dare regnum dictæ Isabellæ, Reginæ Angliæ, nec filio eius Eduardo: quia sicut filia Regis non succedit in regno Francorum, ita nec natus ex ea: excluso enim ascendentे, excluduntur descendentes ex persona ascendentis. Hæc

Cosm.

## 32 DE IURE SUCCESSIONIS

Cosmus in præfatione pragm. san. ex  
Historici Gaguini, lib. 7. folio 131.

Quem locum in eandem sententiam pro-  
fert Bartholom. Chassanæus, prætor Par-  
lamenti Burgundiaæ in consuetudin. Bur-  
gund. tit. de feud. nu. 37. vbi subiungit  
Baldum de hac consuetudine memini-  
se, in l. i. D. de Senat. Et quod sicuti  
filia Regis Francorum non succedit in  
Regno, ex rationabili consuetudine Fran-  
corum, ita natus ex ea succedere non po-  
test.

Quod rectè, Doctorum omnium  
iudicio, sensit & Baldus & Guimerius.

Nam præter illam rationem, quod nemo  
plus ad alium transferre potest, quam ipse  
habet, alia etiam ratio peti potest ex iu-  
re feudorum (quorum naturam & ius  
Regna hereditaria imitantur.) Quo iure  
ut mulier ad paterni feudi successiones  
non admittitur, lib. 1. tit. 1. ff. 3. ita pro-  
les fœminei sexus, vel ex fœmineo sexu  
descendens, ad huiusmodi successionem  
aspirare non potest, ut loquitur textus, li-  
bro 2. tit. 11. ff. 1. quia successio liberis,  
posteriorisque virilis sexus tantum defertur.

Cuius ratio perspicua est, nam qui na-  
scuntur patris non matris familiam se-  
quntur, l. famil. ff. vlt. D. de verb. sign.

ult. D. de verborum signis. Et reuera feuda quæ deprauato iure ad  
mulieres deferuntur, ea non propriè feu-  
da

*Barthol.  
Chassanæus.*

*Baldus.*

*Nati ex filia  
Regis Franci-  
cum excludun-  
tur à Regno  
Francorum.  
l. 54. l. 120.  
l. 160. ff. ab-  
surdum, de  
reg. iur.*

*l. 16. feud. I.  
tit. 1. ff. 3.*

*l. familia. ff.  
ult. D. de ver-  
borum signis.*

da, sed feudastra potius appellanda sunt, *Fendastra*  
ut doctissimè notauit clarissi. Juris. Hot- *Hottoamnati*  
tomannus.

De hac Gallorum consuetudine siue  
lege cum multi autores faciant mentio-  
nem, quos hic longum esset recensere,  
vnius addam Ioannis Feraldi, Consiliarij  
Ludovici xij. locum, quia reliquis est cla-  
rior. Eius haec sunt verba sub finem lib. de  
iuribus regni Francorum.

Et ut facilior sit cognitio illius obser-  
uationis antiquae, & iudiciorum subsecu-  
torum, ex quibus potest induci consuetu-  
do: quæ ex Registris *Curia Parlamenti*  
*trium Statuum Regni*, & Chronicis extra-  
xi, declarare hoc in loco destinaui.

Philippus diui Ludouici filius, duos fi-  
lios habuit, Philippum Pulchrum, & Ca-  
rolum Comitem Valesij. Philippus Pul-  
cher Francorum ac Nauarræ Rex, genuit  
Ludouicum, dictum Hulin, primogeni-  
tum, qui vno anno: Philippum Longum  
qui per Lustrum, & Carolum Pulchrum,  
qui per septennium regnauere. Genuit &  
Isabellam nuptam Eduardo Anglorum  
Regi. Ex quo natus est Eduardus tertius,  
qui Regnum querelauit. Ludouicus Hu-  
lin filiam habuit, quam matrimonio dedit  
Carolo Comiti Ebroicensi, Vnde Carolus  
Rex Nauarræ natus est. Ludouico Hulin  
suc-

14 DE IURE SUCCESSIONIS  
successit, & Francorum regnum est ademptus dictus Philippus Longus: non autem ille Carolus Rex Nauarræ ex muliere descendens, licet in Regno Nauarræ successerit. Atque ita judicatum extitit. Item Philippus Longus filiam unicam habuit, in matrimonio datam Comiti Atrebatenſi, cui Philippo dictus Carolus pulcher successit, nō aut prædicta filia, et si proximior gradu effet. Dictus Carolus Pulcher sine liberis vxore prægnante deceſſit. Vnde disceptatio insurrexerit, quis interim, dum Reginæ partus expectabatur, pro Regente acciperetur. Duo erat qui sibi jura prætendebat, & sibi deberi aſſerebant. Philippus Valesius, & dictus Eduardus ex Isabella Philippi Pulchri filia natuſ. Philippo maxime suffragabatur, quod ipſe masculino gradu Carolo Pulchro proximus habebatur. Eduardo aut, quod fœmina effet proximo gradu. Et quia nullo tempore viſum est per fœminā Fracorū Imperiū moderari. His rationibus Philippus Valesius Regno præſicitur, & postea Rex coronatus eſt. Idem iudicatum eſt, cōtra Henricum Regem Anglorum. Et ſic tria iudicia reddita ſunt inconcūſe ſeruata contra Carolum Regem Nauarræ, Eduardum & Henricum. Quæ iudicia reddunt consuetudinem veram, approbatam & indubitatam:

sic-

Francorum  
Imperium fœ-  
mina non mo-  
deratur.

Res iudicata  
legis vim ob-  
inet. l. 38.  
De legibus.

sicque obseruatum fuit ex eo tempore. Nam Rex Ludouicus successit Carolo o-  
ctauo, & non Anna Caroli soror Borbonij  
Ducis relicta. Ex quibus gloriari debent  
Franci, sicut ille Thales Milesius, qui ma-  
ximas gratias Deo se agere dicebat, quod  
vir esset non fœmina. Hæc Feraldus.

Quod attinet verò disceptationē istam  
motam primūm à Carolo Rege Nauarræ,  
dein ab Eduardo Isabellæ filio, tūm ab  
Henrico, & alijs Anglorum Regibus, ea  
nullum habuit fundamētum, quām quod  
lex quæ contra eos allegabatur, scripta nō  
esset, sed tantummodo diuturna consue-  
tudo obseruari solita in successione Reg-  
ni Franciæ : propterea illi ius successionis  
in regno Franciæ, simile ducētes iuri suc-  
cessionis Regiæ in Nauarra aut Anglia,  
Regnum Franciæ sibi vindicare sunt co-  
nati. Quæ res occasionem dedit diuturni  
belli, præsertim inter Gallos & Anglos, in  
quo multum vtrinq. effusum est sanguini-  
nis, sed Franci tandem prærogatiuam  
suam legis Salicæ obtinuerūt, Angli præ-  
ter nudum titulum Regum Franciæ ni-  
hil inde retulere. Propterea optandum  
quidem fuisset, illas Regiæ successionis le-  
ges literis mandari, ne cui eas vocare in  
dubium liceret. Verūm cum instituta, &  
mores gentis, tanto seculorum consensu  
conser-

conseruati, ita eam approbarint vltro, vt nunquam necessè existimarint scripto eam compræhendere, eo majoris momenti apud omnes debebat esse & auctoritas: præsertim quando (vt loquuntur Iurisconsulti nostri) contradicto iudicio, vt iam diximus, confirmata consuetudo istiusmodi sit, vt apertissimè docet textus, l.

l.33. De legibus his verbis:

„ Cùm de consuetudine ciuitatis vel prouintiæ cōfidere quis videtur, primūm quidem illud explorandum esse arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio consuetudo firmata sit.

His coronidis loco addam memorabile exemplum nobilissimæ illius consuetudinis, seu iuris Septem Principum Electorū Sacræ Cæsareæ Maiestatis. De qua cùm nihil scriptum reperiant, auctores dubitant quo tempore ea cœperit. Alij enim inter quos recentiorum pleriq. Senatum illum Septem Electorum, qui nunc est, tradunt institutum ab Imperatore Ottone 3. an. Chr. 999. Alij rursam grauissimas ob causas post Fredericum 2. & Conradum eius filium, circa an. Chr. 1250. aut paulo post, tempore interregni illius 18. annorum cœpisse affirmant, quia ab eo demum tempore numerum septenarium expressum vident in historia. Fateri

Constitutio  
Septem Electo-  
rum scripta nō  
reperitur sed  
consuetudo in-  
ueterata est  
qua iuris le-  
gisque scriptie  
nim habet.

vero coguntur omnes, se nihil certi de conscriptum reperisse. Ideo Peucer. in Chro- Peucerus in  
Chronico.  
nico, hac de re loquens. Conijcio (inquit) ex consuetudine antiqua id ipsum cœpisse & extitisse. Nam valde consentaneum est, in tanto procerum numero, tum etiam obseruatum esse, quod nunc in usu est, ut cum de rebus arduis deliberandū aliquid esset vel decernēdum, deligerentur ex singulis ordinibus aliqui antecellentes auctoritate, potentia, & sapientia, qui vel Probuleumata facerent, quæ cœteris in deliberationem proponerentur, vel quod à cœteris iam consultatum, atque in omnes partes pensatum esset, concluderent, exigente id salute publica & necessitate, cum & ambitione nonnullorum, & Pontificum artibus sœpe consultationes aut turbatæ essent, aut protogatae cum graui detrimento reipub.

Quod vero Consuetudinis fuit, id iuris esse cœpit, accedente non comprobatione tantum, sed ordinatione & constitutione Imperatorum. De qua tamē nihil literis mandatum reperio. Hactenus Peucerus.

Quod consuetudinis fuit,  
iuris esse cœpit  
in constitutio-  
ne septem-  
ratus Imperij,  
qua scripta  
non reperiuntur.

Cum igitur ex præmissis constet, probatumque sit, tam auctoritate iuris ciuilis, quam exemplis Lacedemoniorum, Gallorum, & Germanorum, ea quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per an-

## 18 DE IURE SUCCESSIONIS

nos plurimos obseruata, præsertim contradicto iudicio (vt Iurisc. loquuntur) in successionib. Regijs scriptæ legis vim obtinere, & non minus quam ea quæ scripta sunt iura seruari, & secundum ea prouincias & Regna administrari.

Videamus quæ consuetudo omni tempore sit obseruata, omnium consensu approbata, ac contradictorio iudicio firma-ta, ac consequenter etiam, quæ sit lex, &

*De iure successione Regie in Portugallia.* Ut inde appareat an Rex Castel-læ Philippus dictum Regnum Portugall.

L. 32. eod. tit. teneat ex præscripto dictæ legis, seu consuetudinis inveteratæ, quæ pro iure & lege in his quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.

Quod ut melius intelligatur, sciendum prius est, quæ fuerint initia Regni Portugalliae: à quibus usque ad præsens tempus breuiter percurrentes, quæ semper ibi fuerit consuetudo obseruata, notabimus. Et si ex his appareat Regem Philippum, dictum regnum occupasse, secundum dictas Regni consuetudines seu leges: iustum possessorum ipsum profitebimus. Sin verò eum contra ius successionis Regiae in regno Portugalliae semper obseruatum, Regnum hoc tenere docuerimus, pro ty-ranno & iniusto usurpatore, merito ha-ben-

L. 34. & 38. de  
leg.

L. 34. eod. tit.

bendum evincemus.

Regnum Portugalliae ab initio non fuit hæreditarium, sed circa annum Christ. 1100. ab Alfonso vi. Rege Legionis, datum fuit Henrico Lotharingico, Comiti Lymburgi, pro compensatione, & præmio operæ insigniter in bello saepius nauatæ, & præsertim pro singulari virtute & fortitudine demonstrata in expugnatione Regni Toletani, quod Mauris eripuerat. Deditque Rex Alfon-sus insuper filiam suam Tyresiam Henrico in uxorem, cum iusto titulo (pro se & hæredibus) omnium Regionū quas Mauris extorquere vel auferre posset. Henricus iste moriens Comes tautum fuit, nec alio vñquam dignitatis titulo est usus.

*Henricus Co-  
mes Lymburgi  
an. Chr. 1100  
Portugalia do-  
natur.*

Illi successit filius Alfonsus, qui cum die quodam in acie staret cum suis Portugallensibus, prælium initurus contra quinque Reges Mauros, qui coniunctis viribus bellum ei indixerant: Portugallenses indecorum, & se indignum iudicantes, vt Regem non habentes, contra quinque Reges pugnarent: Ducem suum Alfonsum, Regem creare statuerunt, nec mora, in ipso statim temporis puncto, ante pugnam, totius populi consensu, Regem eum salutant, vñani-mi voce omnes clamantes:

*Alfonsus I.  
Rex Portugal.  
Electus.*

*Clamor quo  
populus Por-  
tugal. vti con-  
sueuit in Ele-  
ctione Regis.*

*Real, Real, Real, per Dom Alfonso, Rey de  
Portugal, id est, Regalia, Regalia, Regalia,  
pro Domino Alfonso, Rege Portugallie, vel,  
Viat Rex Portugallie Alfonsus. Quæ vo-  
ces boni fuerūt omnis tam victoriae quæ  
subsequuta est, quam confirmationi Re-  
gij nominis in Portugallia.*

*Sanctius 1.*

Alfonso 1. successit filius eius Sanctius,  
primus etiam eius nominis. Cui rursus  
filius, Alfonsus 2. Huic Sanctius 2. cog-  
nomento Capello, qui quod ineptus esset  
Imperio, regno fuit abdicatus, & ad Mo-  
nasterium relegatus. Vocatusque in eius  
locum ad Regni gubernacula est eius fra-  
ter Alfonsus, qui tum vivebat in Gallia,  
ibidemq. duxerat in uxorem Comitissam  
Bononiensem. Veniens ergo in Portugal-  
liam Alfonsus Regni administrator: Et  
paulo post Rex Portugallie, universi po-  
puli suffragijs est creatus, eius nominis  
tertius. Illi successit filius eius Dionysius.

*Alfonius 3.  
Electus.*

Huic etiam filius Alfonsus eius nominis  
quartus. Cui rursum filius Petrus. Iste fi-  
lius Ferdinandus. Qui cum obiisset nulla  
relicta prole mascula, nec proinde in Re-  
gno Portugallie esset haeres masculus le-  
gitime natus superstes (reliquerat enim  
dictus Rex Ferdinandus ex uxore unica-  
tantum filiam) re factisque monstratum  
fuit, feminam ad successionem Regni Por-

*Dionysius.*

*Alfonius 4.  
Petrus.  
Ferdinandus.*

*Premia ad  
Regnum Por-  
tug. non admit-  
titur.*

Portugall. non admitti, eandemque constructudine in successione Regiae apud Portugallenses obtinere, quam diximus in usu fuisse olim apud Lacedemonios, & esse apud Francos etiamnum hodie, quam illi legem vocant Salicam, quæ in eum finem primum inuenta, introductaque est, ne Regnum incidat in potestate extraneorum. Nam cum, ut dixi, in Portugallia nullus tum Regij sanguinis Princeps ex linea masculina directa legitimè descendens superesset. Populus (exclusa Beatrice filia unica defuncti Regis Portug. legitima, quæ nups erat Ioanni I. Regi Castellæ, qui uxoris causa Regnum Portugallæ sibi vindicabat ut supra diximus fecisse Eduardum Regem Angliæ in Regno Franciæ) populus inquam Portugallensis.

Ioannem eius nominis primum, cognomento de bona memoria, filium illegitimum Regis Petri, magistrum militū ordinis Cicestrijensis de Auijs & habitis Comitijs in Conuentu Franciscanorum Coimbricensi, communibus suffragijs unanimiq. omnino Regni ordinum consensu summoque applausu (suffragante Pont. Urbano V. i. qui voto monastico eū exoluit) in Regem Portugall. elegerunt & coronarunt, an. Chr. 1383.

Ioannes I.  
Elegans.

*Ius Portugaliensium in eligendo Rege.*

*Lex Regni  
Portugallia  
non admittit  
feminas ad  
Regiam suc-  
cessionem.*

Quo exemplo populus Portugallensis non modo ius suum in eligendo Rege quo ab initio Regni Portugalliae vsus est, probauit, & confirmauit, sed Regis sui filium illegitimum, simul & Monachum, præferendum, in Regia successione, vnicæ & legitimæ filiæ Regis Portugalliae ex lege seu consuetudine Regni, ostendit: quæ nullas admittit feminas ad successionem Regiam, ne ius Regiæ familiae tributum (ut supra notauiimus cum ageremus de consuetudine Lacedæmoniorum) evanesceret, quia regnum per illas desultoriè ab una familia in alteram transfertur.

Cùm vero interea Castellæ Rex Ioannes i. ius vxoris suæ, filiæ vnicæ defuncti Regis Portugalliae Ferdinandi pertinaciter persequeretur, legi Regni fraudem facere studens, adeoque iam ductis in Portugaliam copijs, Vlijssiponā integrum annum obsidione pressisset, non propterea Portugallensium pro lege, Rege, & patriæ libertate pugnatiū, fracti sunt animi. Verum Ioannes Rex Portugalliae occasione arre-

*Nobilis victo-  
ria Ioannis  
Reg Portug.  
contra Castel-  
lanos ad Alj-  
barotta.*

pta, anno Chr. 1385 die 14. Augusti, cum exercitu suorum qui 8000 non implebat ad pagum Alijbarotta Castellanis (qui 33. millia armatorum militum & amplius conficiebant) obuiam profectus, eos cum Re-

Rege suo Ioanne I. fudit ac profligauit  
caesis 10000. præter captiuos.

Qua memorabili victoria, prærogati-  
uam antiquæ legis Regni Portugalliae ob-  
tinuit, & successionem Regiam ex dictæ  
legis præscripto ad se delatam confirma-  
uit, & tam sibi quam suis posteris, in Re-  
gno Portugalliae successoribus ratam fe-  
cit.

Ioanni primo successit filius eius Edu-  
ardus, cui iterum filius Alfonsus eius no-  
minis quintus, Illi filius Ioannes secun-  
dus. Quo mortuo sine legitimis filijs: Po-  
pulus Regem elegit *EMANVELEM*, *Eduardus 1.*  
fratrem patruellem Regis postremo de-  
functi. Illi successit filius primogenitus *Alfonsus 5.*  
Ioannes tertius, patruus Regis *ANTO-* *Ioannes 2.*  
*NII.* Isti Sebastianus nepos Ioannis 3. *Sebastianus 1.*  
ex filio Ioanne ante patrem mortuo. Se-  
bastiano in Africa an. Christ. 1578. die 5.  
Augusti, pugna contra Maroccorum Im-  
peratorem, vbi & Antonius fuit captus,  
cæso, nullis relictis liberis.

Portugalenses rursum\* (nulla habita-  
ratione filiorum natorum ex duabus fi-  
liabus Regis Emanuelis, quæ reliquos  
fratres suos post Ioannem 3. primogeni-  
tum natos, ætate præcedebant: Tum su-  
spicantes quod vna cum Rege Sebastiano  
cœsus quoque esset Princeps *ANTONIVS*,

*Henricus.  
Electus.*  
ad quem, quod filius esset Infantis Ludouici secundo geniti Regis Emaue lis, jure optimo corona pertinebat, præsuppositis natalibus eius legitimis) vnicum, qui tum restabat, ex filijs Regis Emanuelis, Henricum, licet Ecclesiasticum ( ut suprà dixi de Ioanne 1. ) & Cardinalem consecratum Regem Porugall. eligunt & renunciant.

Quo regnante, cùm singulari diuini numinis beneficio, è carcere Africano ad suos euasisset *Antonius*, & reipub. multum interesset legitimos eius natales sciri: licet seuerè de illis inquiret vetaslet prohibuissetque dictus Rex Henricus eius patruus, & frater minor natu Infantis Ludouici patris Antonij ( quia sciebat se solum Principi Antonio debitum occupare) tamen à præstantissimis, fideq. dignissimis viris, ad eam rem publica auctoritate delegatis pluribus instrumentis & argumentis probatum fuit, & sufficientibus idoneisque testibus confirmatum, Principem Antoniū, legitimo thoro esse natum, clandestinumq. matrimonium inter patrem eius Infantem Ludouicū, matremq. eius Iolentam contractum legitimè fuisse, ex quo natus est Antonius.

Quod hactenus paucis admodum fuerat notum, qui id ad hoc usque tempus,

ob

ob has causas non publicarant.

Primum quod Infans Ludouicus, dum viueret hoc palam esse noluisset, ne ipsi, qui primus erat inter fratres Regis Ioannis. 3. quicquam de sua auctoritate, & summa, qua apud omnes domi forisque pollebat existimatione eo nomine discederet, quod inequalem nimis & imparem sibi vxorem sumpsisset.

Dein quod illo tempore Rex Ioannes 3. frater eius natu maximus, plurimos haberet filios, qui omnes in successione Regia Principem Antonium, dicti Infantis Ludouici filium præcedere debebant. Adeò ut vix credibile esset, posteritatem dicti Ioannis tertij, quæ numerosa erat, tam breui tempore posse extingui, atque ita ius successionis Regiae perueniret ad principem Antonium, paucis enim annis mortui sunt omnes Ioannis. 3. filij ante patrem, nec quisquam ex illis ad ætatem qua procreare liberes posset, peruenit, præter Ioannem, qui iuuenis etiam moriens an. Chr. 1554. unicum tantum ex uxore Ioanna Caroli V. Imp. filia, reliquit filium posthumum Sebastianum, qui postea anno ætatis tertio, Christi 1557. Ioanni 3. anno paterno in Regno Portugalliae successit. Hic Sebastianus cum in adolescentia sua valetudine semper vteretur

*Cause cur na-  
tales legitimi  
Antony non  
fuerunt publi-  
cè diuulgati;  
ante mortem  
Regis Seba-  
stiani.*

firma, & corpore adeo esset robusto, & iuuenili, vt diutius existimaretur posse viuere, quam omnes qui post mortem eius, ad Regnum capessendum ius sibi esse contenderunt ( occubuit enim anno ætatis tantum 24.) nulli vñquam curæ fuit, de proximo Regni hærede quærere, tam quod Regem Sebastianum secundum naturalem humanæ vitæ cursum, hæredibus procreandis idoneum satis habilemque cernerent, ( de quo vel minimum dubium moueri Principi florente ætate audire ingratum, infaustique omnisi visum fuisset) quām quod verisimilius omnibus videretur, Regem ita juuenem, suorum agnatorum cognatorumq. ( qui omnes ætate longè maiores illo erant ) hæreditatem aditurum, quām eos ipsius. Atque hæ veræ causæ sunt cur legitimi natales Principis Antonij, et si à quibusdā proceribus clarisq. viris noti essent, ante mortem tamen Regis Sebastiani, filij patruelis sui non fuerint publicati.

Henricus igitur hoc modo quo dixi Rex Portngall. creatus, annis grauis vix sesquiannum integrum Regnum possedit cum ex hac vita emigravit.

Post cuius obituū populus Portugallicę ( exclusis rursum lege Regni filijs ex filiabus Regis Emanuelis natis ) communibus

nibus omnium ordinum suffragijs, & cō-  
fensu, summo applausu & acclamatione,  
Antonium Regem Portugalliae eligunt Antonius  
Electus.  
& salutant, vtpotè verum & legitimum  
Regni successorem, tam iure hereditatis  
& successionis Regiæ in Regno Portugal-  
liæ semper obseruato, quam iure elecťio-  
nis, quod Portugallenſes integrum sem-  
per ab ipsis Regni primordijs feruarunt,  
oblatisq. occasionibus ſæpe iam (vt oſten-  
dimus) fuit viſi.

Electus autem & inauguruatus eſt An- Inauguratio  
Regis Antonij.  
tonius Rex Portugaliæ, à tribus Regni or-  
dinibus: primum in ciuitate Santarenesi,  
die 19.Iunij anno Chr. 1580. Vbi omnes  
jureiurando ſe ipſi obſtrinxerūt. Dein ter-  
tio pòst die confirmatus in ciuitate Vly-  
ſiponensi Portulliæ metropoli, ab omnib.  
ibidē ordinib. maximā populi frequentia  
receptus, adhibitis ab vniuerso clero om-  
nibus ſolemnib. ad eam rem requisitis de  
more populi ceremonijs, omnesque Cleri  
ordines Regem præibant cantātes *Te Deū  
laudamus*. Acclamantib. & ouantibus om-  
nibus ciuibus, tanto applausu & gaudio,  
vt antea nunquam in recipiendis vel eli-  
gendif Regibus, in eo Regno ſimile fuerit  
yifum vel auditum, jufiurandumq. fide-  
litatis & obedientiæ, eodē in loco, ab om-  
nibus ordinibus ipsius Ma. eſt præſtitum.

Paulo

Paulo post etiam in oppido Setubal ab omnibus singularum ciuitatum Syndicis, summo Regni Cancellario, ac præcipuis Regni consiliarijs, qui cum magna nobilitatis parte ibi erant congregati, receptus quoque, inaugurus, & Rex Portugalliae est salutatus. Quibus omnibus in locis, de his quæ facta erant, acta publica confecta sunt, quæ præcipui trium ordinum viri signarunt.

Post illa missis ad oppida & arces continentis Africæ, & insularum quæ Regno Lusitaniæ sunt subiecta, qui nunciarent Antonium à Portugallensibus Regem esse creatum, & postularent ab ijs, ut eum dehinc Regem agnoscerent, statim accepto nuncio, ubique Antonius Rex summo omnium applausu & acclamatione pronunciatur.

In tota ista serie Regum Portugall. duæ à primo, usque ad præsentem Regem, videmus consuetudinem seu ius Regni, videlicet, ut populus ius habeat eligendi Regem, statu regni ita postulante, & ut ad successionem Regiam nulli admittatur, quam heredes masculi, & illi per masculinam lineam descendentes, per istos quingentos annos continuo & inconcusse fuisse obseruatum.

Constat autem ex legibus iuris ciuilis,

lis, historiæque exemplis supra allegatis, tot sæculorum mores, tanto ac tam diuturno consensu atque usu probatos, scriptæ legis auctoritatem obtinere: præser-  
tim vero contradicto judicio (vt loquun-  
tur Iurisc.) confirmatos. Ut in successio-  
ne Regum Portugall. usuvenisse ex præ-  
missis clarissimè demonstrauimus. Ex

1.33. ad. 111.

quibus etiam, diligentius rem consideranti apparebit, legem quam Franci vo-  
cant Salicam, nunquam accuratius, om-  
nibusque suis numeris absolutius fuisse obseruatam in Francia, quam fuit in Por-  
tugallia.

*Lex quam  
Franci vocant  
Salicam sem-  
per accurate  
in Portug. ob-  
seruata.*

Nam vt Franci, mortuo Rege Ludoui- *Chron. Reges*  
co Balbo, relicta vxore prægnante, eò *Franc.*  
quod nullus legitimus Regni heres præ  
manibus esset, Carolum seu Caroloman-  
num & Ludouicum, præ mortui Ludo-  
uici ex pellice Anscarda filios spurios an.  
Chr. 881. Reges Franciæ crearunt, po-  
tius quam ad filios, ex filiabus Regum na-  
tos, recurrerent: ita & in Portugallia de-  
functo, sine prole mascula, Rege Ferdinā-  
do, relicta una tantum filia legitimā Bea-  
trice, Ioanni 1. Regi Castellæ nupta: Po-  
pulus illa quamuis legitimā exclusa, Re-  
gem elegit Ioannem 1. dicti Ferdinandi  
fratrem spurium, filiumque illegitimum  
Regis Petri. Illum quamuis non legitimè  
natum,

30 DE IURE SUCCESSIONIS  
natum, & (quod amplius est) monachum, filiae legitimae Regis Ferdinandi, in Regia successione, ex vi legis seu consuetudinis Regni, semper ibi accuratissimè obseruatæ, præferens. Nec modo filiabus Regis legitimis tantum, sed & omnibus alijs viris principibus, (cuiuscunque tandem gradus essent aut ordinis.) Regum suorum filios illegitimos, Portugallenses præposuere: tam ut optimam, laudatissimam, inueteratamque Regni consuetudinem seruantes, beneficium legis Salicæ consequerentur, hoc est, ne Regnum incideret in extraneos, quam ut eo testarentur reuerentiam, obseruantiamq., quam memoriam suorum Regum colebant.

Atque ut in Francia, à tempore Hugo-nis Capeti, stirpis præsentium Franciæ Regum cōditoris, nullam istiusmodi elec-tionem fieri vidimus, quia in familijs Val-lesia & Borbonica (quæ rectâ linea ma-sculina ab Hugone Capeto gentis autore de-scendunt) semper Principes Regij san-guinis, heredesque Regni, linea masculinâ de-scendentes fuerunt, quales & hodie adhuc aliquot supersunt: Ita & in Portu-gallia, à tempore Ioannis 1. Regis Portu-galiæ, similis electio facta non est, quia to-

to

to isto tempore extiterunt filij, agnati que  
 Regum per rectam lineam masculinam  
 descendentes: i quorum linea masculina  
 adhuc vigeat in uno Rege *Antonio*, eiusque  
 filijs, quem Deus magno alicui Christia-  
 nae reipub. bono reseruasse hactenus vi-  
 detur, cum in se habeat virtutes omnes  
 maximo Principe dignissimas, ut vel ho-  
 stes eius fateri coguntur: nec frustra sit (ut  
 planissime certissimeque mihi persuadeo)  
 quod Deus, qui singularem Principum  
 omnium curam habet (quosque scripture  
 Christos Domini, sanctos Iehouæ, Mes-  
 sias Iehouæ, imo Deos & filios excelsi ap-  
 pella) tam miraculosè eius Ma. ab eviden-  
 tissimis periculis & quasi certissimâ mor-  
 te liberauerit in bello Africano, & posteà  
 in suo proprio Regno, dum Hispanus,  
 sanguinem eius sitiens, terrâ mariq. eum  
 fuit persequutus: non aliter, quam impius  
 Saul quererebat ad necem Dauid sanctum  
 Domini, quem ut dicit scripture Deus  
 non tradidit in manus Saul quia anima  
 eius custodita fuit, quasi in fasciculo  
 viuentium apud Iehouam Deum suum.  
 Qui animam inimicorum eius eiacula-  
 uit, quasi è medio cauo fundæ. Et po-  
 stea ad Regnum cui eum destinarat &  
 ad quod cum elegerat, euexit qualiterum  
 cunctum Regi *Antonio* Dei

sancto

I. Reg. 24. 7.

&amp; 26. v. 9.

II.

Ezai. cap. 45.

Psal. 81. 6.

Ioan. 10. 34

I. Reg. 23.

v. 14. 15.

I. Reg. 25. 29.

"

"

"

"

"

32 DE IURE SUCCESSIONIS  
uncto in causa non absimili certò expe-  
ctare debemus.

Verum ut sermonem de lege Salica  
tam accuratè, in Portugallia quam in ipsa  
Franciâ obseruata, incœptum perficia-  
mus, pauca quædam adiungemus.

Si ergo accideret in Francia ( quod  
Deus prohibeat ) ut Principes Regij san-  
guinis deficerent, & extincti omnes essent  
Regis agnati, an putabimus eos confugi-  
turos ad descendentes è linea fœminina?  
Certum est nunquam facturos. Nam si  
semel istiusmodi successor admitteretur:  
quidquid omnino boni vñquam ex lege  
Salica ceperunt, eodem momento ipsi  
periret. Cum enim lex Salica eos hacte-  
nus seruarit, quo minus in potestatem ex-  
traneorum inciderent, tum necessariò in-  
commodum hoc pati deberent, quia per  
filias, quæ sëpe extraneis nubunt, in aliam  
gentem & familiam peregrinam trans-  
ferrentur.

Propterea verisimile est (ut ex præiudi-  
cio iam allegato probari potest) Francos  
tali casu, & rerum statu, admisuros potius  
ad Regiam successionem aliquem, qui il-  
legitimè à Rege suo demortuo linea ma-  
sculina descendisset, ut fecerunt olim post  
obitum Ludouici Balbi Reg. Franc. Et in  
simili casu fecerunt etiam Portugallenses,  
post

Illegitimus Re-  
gi filius pre-  
ferendus in  
successione Re-  
gia, filia seu  
nato ex filia  
Regis Francie  
seu Portugal-  
lie.

Ex quibus iam manifestum est , legem  
quam Franci vocant Salicam in Portugal-  
lia æquè atque in Francia , inueteratā con-  
suetudine induictam , & contradicte iudi-  
cio firmatam , omnium Iurisconsultorum  
& Historicorum suffragio , legis scriptæ  
vīm obtinere .

Ad quæ omnia , in Portugallia , accessit  
insuper noua lex & constitutio Regis Por-  
tugallie Ioannis I . qua lata consuetudi-  
nem illam laudatissimam , vsque ad sua  
tempora studiosè seruatam , prædictus  
Rex confirmauit . Legem autem eam vo-  
cauit *Mentalem* qua statuit *Ne qua fæ-*  
*mīna , aut ex ea natus , quicquam eorum quæ*  
*ad Coronam pertinent , hæreditatis iure conse-*  
*quatur . Quæ lex fœminas , non modo à*  
*Regia successione , sed ab omnibus feudis*  
*quæ à Corona dependent , excludit , adeo*  
*ut hac ratione omnia feuda in Portugal-*  
*lia , quæ à Rege tenentur sint masculina ,*  
*quemadmodum legimus fuisse feuda Im-*  
*perij . Ac secundam hanc legem rursum*  
*omnes qui hodie ius prætendunt ad suc-*  
*cessionem Regni Portugaliæ , excepto uno*  
*Rege Antonio ab ea excluduntur .*  
*Solus enim ille inter eos qui vivunt , à*  
*Rege Portugaliæ recta & legitima linea*

Lex Mentalis .

In Portugallia  
feuda quam  
inuestituram  
dat Rex , quan-  
do in fœminā  
incident , re-  
deunt ad Co-  
ronam . non  
enim capaces  
sunt fœmina  
successionis  
corum ex lege  
Mentali .

masculina descendit, cum alijs omnes per foeminas ius quod prætendunt sint consequuti.

*Cum lex ista  
dicta Mentalis.*

Appellata est autem lex ista Mentalis à dicto Rege Ioanne I. quia, cum hactenus successio Regia in regno Portugallie, in ijs solum fuisset continuata, & quasi per manus tradita, qui descendebant per lineam masculinam: Iam omnium mentibus & memoriæ pro re certissima, legeque recepta infixum, impressumque erat, quod per solam successionem masculam licerent succedere in Regno, & bonis pertinentib. ad coronam Portugall.

*Mata ad  
tem*

*Claudius  
Seyfillus.*

Cum ergo Philippus Castellæ Rex filius sit filia Regis Emanuelis, tam ratione huius legis Mentalis, quam inveteratae consuetudinis regni, incoccusse semper ibi obseruatæ, ac proinde vim scriptæ legis obtinentis, planè excluditur ab omni iure quod possit aut vellet prætendere in successione regni Portugallie. Vnde necessario sequitur, possessionem quam in fraudem legis Regni, hodie ibi usurpat, iniustum esse, & tyrannicam, ut in simili causa loquens Claudio Seyfillus, Regis quondam Ludovici XII. consiliarius, & Taurinensis Archiepiscopus, libro quem de monarchia Francie inscripsit prudentissime, verisimeque notauit his verbis.

Ter-

Tertium frenum, quo Reges Franciæ coercentur, est politia: hoc est mores & instituta Regni, multas per ætates comprobata, & longinqua consuetudine retenta atque usurpata: quorum abrogationem tentare Reges non audent: et si forte audent, frustra id facerent: quoniam corum imperio non pareretur. Item alio loco: Iterum dico: Regem nō posse gratius obsequium Deo præstare, aut suorum ciuiū vtilitate, aut suæ dignitati & existimatio ni melius consulere, quam illas Regni leges obseruando. Tum enim boni & christianissimi Regis & Patris Patriæ cognomentum acquirit, ceteraque omnia nomina, quæ sibi magnus aliquis & glori os Princeps potest acquirere. Ex contrariò vero, simulatque limites & fines illos sibi præscriptos egreditur, & sua voluntate pro ratione uti instituit, habetur ac numeratur Improbus, Tyrannus, Crudelis, & intolerandus: Quibus de causis in Dei & Populorum suorum odium incurrit. Hæc ille de Regib. Franciæ, quæ non malè ad omnes alios Principes extendi & accommodari posse, quivis fatebitur. Verum, quid immoror diutius in re planissima, & ea causa in qua ipsum habeo confidentem Reum, & testantem contra se met ipsum aduersariū? Ipsum videlicet Castellæ Re-

36 DE IURE SUCCESSIONIS  
gem Philip. & patrem eius Imp. Caro. V.  
Nam cùm ageretur de cōtrahendo matri-  
monio inter dictū Philip. & Matiā filiam  
Regis Ioannis 3. Philippus sponsus cum  
patre suo Imperatore Carolo omnē mo-  
mouerūt lapidem quo miris artibus, sini-  
strisque rationibus à Rege Ioanne 3. im-  
petrarent, vt, si moreretur sine hærede  
masculo, hæredem Regni Portugalliae  
declararet dictam filiam suam Mariam  
Regis Philippi vxorem, cum suis hæredi-  
bus & successoribus, in præjudicium fra-  
trum dicti Regis Ioannis (inter quos ma-  
ximus natū erat Infans Portugalliae Lu-  
douicus, pater præsentis Regis Antonij)  
qui ea ratione à successione Regia excludi-  
suissent, quos cupiebant iuri suo renun-  
ciare. Quod manifestè indicabant se non  
ignorare, ratione legum Regni accuratis-  
simè semper ibi obseruatarum, ius succe-  
ssionis Regiae in Regno Portugalliae  
pertinuisse ad dictos fratres Regis Ioan-  
nis, eorumque heredes masculos, si forte  
sine prolè mascula dececessisset idem Rex  
Ioannes. Quod non obscurè innuebant  
dum peterent à dictis Regis fratribus, Re-  
gni hæredibus prætentibus, vt legibus  
Regni, suoque iuri in successione Regia  
renunciarent, vt ita cum bona eorum ve-  
nia, fraudatis Regni legibus, fœmina ad

Re-

Regnum admitteretur. Quæ si iure succedere in Regno potuisset, non opus fuisset id extraordinario modo à patre eius Ioanne petere, rursumque ab eius patruis Regis Ioannis fratribus contendere ut de suo iure ipsi cederent. Quod testimonium ab adversariò ipso contra se datum ( quo nihil potest esse efficacius ) ad superiora, quæ abunde iustitiam bonitatemque cause Regis Antonij probarant, conclusionis loco addere volui, vt eo magis appareat, quanta sit Tyrannis & iuriuria Regis Philosophi, qui non modo contra leges Regni, sed contra proprij etiam oris sui & conscientiae testimonium Regnum Portugallia, vi doloque partum hodie detinet. Nisi enim suarum iniuriarum probe fuisset conscientius, quid cause fuit, cum nuncius de capta Portugallia, sed Rege Antonio è manibus Hispanorum elapso ipsi adserretur, vt responderet, altum ducens suspicuum, nihil ergo esse effectum. Facile iudicans ( vt est Princeps rerum humanarum peritissimus ) tanti momenti sibi esse, in potentatem suam redigere personam Regis Antonij, quam ipsam Portugalliam: tanta virtus est iustitiae & æquitatis, vt ille Rex potentissimus sibi metuat à Rege profugo, Regno bonisque exuto, solum quia non ignorat ius ab eo stare. Nam

in hoc esset, quorsum spectarent magnificæ illæ præsentationes & oblationes modo Regni Neapolitani modo aliarum Provinciarum cuius regno ferè, æquandarū Regi A N T O N I O à Rege Philippo toties factæ? Quorsum etiam præmia ingentia pollicita sicarijs qui cū è medio tollerent, ut nuper ex quibusdam literis interceptis est compertum? Quorsum inquam ex domesticis Regis A N T O N I I & famulitio ad hoc detestandum facinus perpetrandum vnum aut alterum magno pretio inducere est tentatum? Horum omnium causa nulla alia est, quam quod sciat Rege A N T O N I O viuo, nunquam statum suum sine maximo fore periculo, ac minima oblata occasione in summū posse adduci discrimen. Quod si Principes Christiani, vel saltem paucissimi ex illis, ita bene inteligerent, ut facit Hispanus ipsorum hostis iam dudum Europa grauissimo Hispanorum jugo esset liberata, & optimus Princeps Rex A N T O N I Y S Regno aucto esset restitutus.

SERMO

## SERMO SECUNDVS.

**Q**UOD Rex ANTONIVS sit verus successor & legitimus Rex Portugal. Hoc breuiter tribus rationibus siue argumentis probari potest, quorū singula sufficiunt ad efficiendum iustum, legitimūq. Regni successorem. Quæ si simul omnia Antonio conuenire, eique inesse docuerimus, tanto clarus, manifestiusque apparet bonitas & iustitia causæ eius, in successione Regni Portugallie.

Prima ratio est, Quod quando Regiæ successionis consuetudo, in regno aliquo obtinuit, vt lex quæ de ea fieri, & deinceps ibi obseruari debet, longa praxi, multisq. exemplis inducatur: (vt in Francia factum est de lege Salica) ea postea consuetudo pro lege ibidem in successione Regia deinceps semper est obseruanda.

Cùm ergo iam monstrauerimus in successione Regni Portugallie, eos solos fuissé admissos, qui descendebant per lineā masculinam, ex præscripto legis Regni: deficientibus vero heredibus masculis, legitimè natis, etiam illegitimos fuissé admissos & electos à populo, vt hac ratione retinerent beneficium Legis Salicæ (hoc est, præcauerent ne Corona incideret in extraneos) necessario sequetur,

C 4      quod,

Prima et  
secunda  
ratio ar  
hina de  
regno antig.

quod, quoties in Portugallia deficiet successor masculus legitimè natus & extabat successor illegitimus seu spurius descendēs linea masculina talem habere iustum titulum, actionemq. iure posse prætédere ad successionem Regiam Portugal. modò constet eum esse filium eius, cuius gerit nomen, & pro tali passim agnoscatur.

Quod cùm sit verūm, multo maiori ratio-  
ne filius naturalis (hoc est natus patre &  
matre cœlibe nulloque matrimonio ligati)  
prærogatiua ista successionis gaudere  
debet: præsertim vero in eo Regno, vbi fi-  
lij istiusmodi naturales, paulo minoris fi-  
unt quam legitimi. Nam primariae etiam  
Regni Portugallie familiæ, à talibus ori-  
ginem sumserunt, vt familia Ducum Bar-  
gantiæ d'Aueiro, Comitū de Vimioso, &c  
Hac ratione etiamsi Rex Antonius legiti-  
mus non esset & quod vnicum est quod  
aduersarij eius ipsi obiciunt, licet sit fal-  
sissimum ) nec à populo Rex Electus, vt  
est: solum quia semper pro filio Infantis  
Portugallie Ludouici certò est agnitus,  
quodque amplius est, testamento eiusdem  
filius, & hæres vnicus omniū bonorum est  
declaratus, iustus ei cōpetit titulus succe-  
soris & heredis in regno Portug. Quia lex  
seu ius successionis Regiæ ibi admittit eti-  
am filios illegitimos & naturales, deficien-  
tibus

tibus hæredibus masculis legitimè natis, exclusis filiabus, earūque heredibus. Quo beneficium legis mentalis consequantur.

Secunda ratio est. Quod populus Portugalliae ius auctoritate inque habeat eligendi Regem deficiente herede è sanguine Regio. Cuius rei, exempla nobis suppeditant Electiones Regum Alfonsi I. Alfonsi 3. Ioannis I. Item Emanuelis & Henrici : quos cœperunt è sanguine Regio legitimos & illegitimos , vt haberent Regem natione Portugallensem, & evitarent dominationem extrancorum.

Cùm Rex Antonius ex præscripto antiquarum legum Regni, ab ordinibus populoque Portugallensi electus & inaugurus Rex sit in Ciuitatibus Santirena, Vlijssipona & Setubal , proqué Rege ab omnibus agnitus, & salutatus, etiam si nō esset legitimus, ista tamen Electio eius, ac proinde etiam successio bona esset & legitima, ac secundum leges & iura Regni. Quod ita verum est, vt etiam si non esset è sanguine Regio , electio tamen locum haberet, modo nullus Princeps sanguinis Regij descendens per lineam masculinam, in Portugallia superesset.

Tertia ratio est. Quod Rex Antonius est filius legitimus Infantis Portugal. Ludouici, ob quam causam solam, etsi duas

42 DE IURE SUCCESSIONIS  
præcedentes in se non haberet, non modo  
omnib. qui prætendunt & vendicant sibi  
ius ad successionem regni Portugalliae est  
preferendus, sed ipsim patruo suo Hen-  
rico Cardinali, qui ipsum in Regno præ-  
cessit, ut ante diximus. Nam cum pater  
Regis Antonij esset maior natu Henrico,  
prærogatiua successionis competebat di-  
cto Antonio eodem planè iure quo antè  
Regi Sebastiano, qui ea erat usus, quod ex  
primogenito Regis esset procreatus. Ean-  
dem igitur ob causam Rex Antonius præ-  
cedere debebat patruum suum Henricū,  
quia filius erat Infantis Ludouici, qui fra-  
ter erat maior natu Henrici: eodem inre  
quo nuper Rex Franciæ Henricus eius  
nominis IV. nunc regnans prælatus fuit in  
successione regni Franciæ patruo suo Ca-  
rolo Cardin. Borbonio, quamvis ille æta-  
te maior, frater esset natu minor patris sui.

Sed quia Antonius tum captiuus deti-  
nebatur in Africa, & fama esset, eum iam  
esse cœsum, eodem prælio quo occubuit  
Rex Sebastianus, Henricus Cardinalis pa-  
truus eius, ut supra etiā cōmemorauī, Rex  
Portug. est electus, eoque magis, quia nō  
dum omnibus innotuerat Principem An-  
tonium legitimo toro esse natū, tam quia  
Infans Portu. Ludouic. pater eius clande-  
stinas nuptias cuim matre eius cōtraxerat,  
quam

quam quod usque ad hoc tempus occasio data non fuisset ijs qui id norant, rem publicandi, præsertim ubi considerarunt Regem Sebastianum iuvenem adhuc esse, firma valetudine, & ætate adeo florente, ut secundum naturalem humanæ vitæ cursum, multo diutius vivere posse existimaretur, quam omnes illi qui postea hæredes eius esse prætenderunt. Quintam electio Regis Henrici habita est non additis solemnis quæ de more eius populi eligendis Regibus adhiberi solent.

Verum postquam ANTONIUS singulari Diuini numinis fauore, è carcere Africano elapsus ad suos esset reuersus, & Henricus, qui tum regnabat, intellectusset Infantem Portugal. Ludonicum fratrem suum maiorem natu iustas nuptias contraxisse, ex quibus Antonius legitimè erat prognatus, omnem dedit operā, quo eum è medio tolleret, nec unquam permettere voluit, ut legitimi natales Antonij fierent palam: sciebat enim se, statim atqne hoc esset manifestum & publicè notum, regnum bono iure retinere non posse, ideoq; mortali odio Antonium prosequebatur, prescribensque eum Regno Portugalliae interdixit, vt ea ratione omnino eum impidiret, mediaque ei præriperet, quibus ius suum in successione in Regni proba-

bare posset interea cum manus in eum  
coniscere non audiret in Portugallia, vbi  
ab omni populo filiali affectu & reue-  
rentia colebatur : Secreto egit cum Rege  
Philippo, ut statim atque in Castellam ve-  
nisset, ipsum ibi detineret. Qua de re cer-  
tior factus Antonius reuersus est in Por-  
tugalliam vbi se clam continuit usque ad  
mortem Regis Henrici, qui in conuentu  
quorundam suorum consiliariorum, Hi-  
spanicarum partium studiosorum, qui  
busque multum fidei habebat, publicum  
fecit instrumentum, in gratiam & fau-  
rem dicti Regis Philippi, quo ipsi resigna-  
bat & in eum transferebat ius successio-  
nis in Regno Portugalliae post suam mor-  
tem, ad quod Rex Philippus longo iam  
tempore aspirarat. Sed cum iam dictus  
Rex Henricus manum calamo admouis-  
set, ut dictum instrumentum signaret,  
rem paulum secum prius reputans. Diffe-  
ramus haec inquit modò, Craftino die haec  
signabo. Atque eadem illa nocte è vita de-  
cessit iustissimo ac manifestissimo in hac  
re Dei iudicio & consilio, neque obiit sine  
magno scrupulo conscientiæ. Quod inde  
vidcre est, quod testamento vetabat quic-  
quam de successione Regia statui, donec  
Infans Portugalliae Antonius natales su-  
os legitimos probasset.

Quod

Quod iam ante factum erat, licet id omni studio & cura sua impediisset dictus Rex Henricus eius patruus, idque coram iudice competente Antonij, Episcopo videlicet Angriensi Emanuele d'Almada. Testantibus id tribus viris fidelissimis, auctoritatisque & estimacionis inter Portugallenses haud medio-cris.

Idem probatum etiam confirmatum fuit testamento Ruy Celema, viri honoratissimi, vitæq. integerimæ, qui ut conscientiam suam exoneraret moriens, testamento suo declarauit Principem Antonium legitimè esse natum, quod ideo se dicebat manifestasse, vt si forte postea opus esset hoc sciri ad Reipub. bonum veritas nosceretur.

Multi alij testes eodem tempore producti, & probationes ibi allegatae coram tribunali dicti judicis fuerunt, & inter alia Testamentum Infantis Ludouici patris Antonij quo Antonium hæredem suum exesse instituit. Nec aliter in dicto testamento eum appellat quam filium suum, non addito verbo (naturalem) nam spurius esse non poterat quoniam pater cum nulla alia nuptias vñquam contraxerat, nec mater alium maritum habuerat, vbi notandum obiter est, secundum leges Por-

*Testamentum  
Ruy Celena  
viri integer-  
rimi & nobis-  
lissimi.*

*Testamentum  
Infantis Lu-  
douici.*

Portugalliae patres teneri in testamento suo exprimere si filij sui legitimi sint, an naturales seu illegitimi si enim ita in testamento posuerunt Titium filium meum heredē instituo pro legitimo habebitur, illudq; patris moriētis testimonium sufficiens adhoc estimatur, sin autē naturalis filius eius fuerit, addet de more Titium filium meum naturalem heredem instituo, prae sumitur enim quisq; verum dicere in testamento suo.

**Testimonium Regis Ioannis 3.** ac testimentiū legitimatis Infantis AnTONII quod Rex Ioannes 3. eius patruus statim à morte Infantis Ludouici patris AnTONI iussērit, vt AnTONIVS plenis Regiorum armorū Portugalliae vteretur insignibus sine vlla distinctione, omnino vt fecerat pater eius Ludouicus dū viueret qui honos nō tribuitur alijs quā proximo Regis heredi seu agnato legitimo, nec verisimile est Regem Ioannem Principalem hunc honorem detulisse, priusquam esset certus de legitimis eius natalibus.

Sunt præterea multi Ecclesiastici in Portugallia qui norunt & affirmare possunt Regem AnTONI V M filium patris sui esse legitimum quorum alij patris eius fuerunt confessores alij alijs rationibus &

**InTestamentis exprimendum si filij sint nati legitimē seu illegitimē in Portug.**

vijs idē intellexerūt. Ex quibus inter alios fuit frater Emanuel Telles, homo vitæ sanctissimæ, ordinis eorū quos Capuchinos hodie appellāt, maxime apud Portugallē ses auctoritatis & fidei. Hūc quia cōfessor fuerat Infantis Ludouici, & proinde testimoniū certissimū ea de re dare poterat, regaliter Rex Henricus, Principis Antonij patruus, metuens ne pondus testimonij quod à tanto viro & tā probatae fidei proferretur, rem manifestam omnibus faceret, quam ille imprimis celatam volebat.

Præterea notissimum est, dictū Infantem Portugal. Ludouicū, Regis Antonij patrē, cùm aliquādo cum eo ageretur de nuptijs cū Maria Angliæ Regina contrahēdis, respōdisse amicis astantibus, cur mihi verba facitis de nuptijs, cū probè sciatis me vxorē ducere non posse? Quod nō dicebat quia receptus erat in ordinem S. Ioannis, nō enim fuerat professus (vt vulgo vocāt) adeò vt liberū ipsi esset vxorē ducere, modo iam nō duxisset, vti fecerat. quæ reuera causa fuit, cur vxorē ducere nō posset, nō alia. Quod eo fit verisimilius quia oēs de eo testatur Principē fuisse, non modo prudentē, sed religiosum valde, vitæq; ac conscientiæ integerrimæ, cuius reliquis morib. agendique rationib. cōueniēs non erat, vt domi concubinā toto illo tépore aleret.

*Responsū Infantis Ludouici ad sermonem de nuptijs cum Regina Angl.*

Interea

48 DE IURE SUCCESSIONIS  
Interea tamen clām illam vxorem habuit  
nec matrimonium suum publicari vo-  
luit, ne eo nomine quicquam dignitati, &  
apud omnes aestimationi discederet, vbi  
videlicet vulgus intellexisset ipsum, qui  
maximus erat natu inter fratres Regis Io-  
annis, Princepsque Portugalliae primus,  
tam imparem sibi coniugem sumpsisse  
et que magis, quia non iudicauit necesse  
id sciri, propter successionem Regiam, vi-  
dens Regē fratres suum satis numerosam  
habere prolem. Sunt & alia quamplu-  
tima argumenta quibus certissimo de-  
monstratum & probatum fuit, Principem  
A N T O N I V M filium esse legitimum In-  
fantis Portug. Ludouici, ac consequen-  
ter bene & legitime Regem electum, cūm  
sit verus & vnicus hodie heres & successor  
qui secundum leges Regni & Mentalem  
in Regno Portugall. potest succedere.

*Antonius ve-  
rus & vnicus  
hodie heres  
Portugal.*

Probata igitur iam tertia ratione, vide-  
licet quod Rex Antonius sit legitimus,  
concurrenteque hac ultima cum duabus  
præmissis videlicet quod sit electus à po-  
pulo, & quod lex admittat etiam filios na-  
turales & illegitimos deficientibus legiti-  
mis per lineam masculinam descendentibus:  
Sequitur necessario manifesteque  
apparet, successionem dicti Regis A N-  
T O N I I omnibus modis esse iustum, ve-  
ram

ram, & legitimam, illam Regis Philippi in fraudem legum Regni usurpatam, meram esse tyrannidem.

Restat ut respondeamus ad ea, quæ Hispani quidam aut Hispanizati (aureis aliquot pistoletis transfixi, seu mercede conduti corruptique ut Regis Philippi causam bonam facerent) scripscrunt in libro cui titulum imposuerunt, De iniusta occupatione Regni Portugalliae, quod Regnum Hispani ad se aiunt pertinere, eiusque dominium & ius semper apud se mansisse.

Hi cum viderent se negare non posse ius & auctoritatem populi, illasam hactenus seruatam, eligendi Regem quoties haeres masculus directo per lineam masculinam descendens deficeret: aiunt, & publicè dicto suo libro prædicant, Regem Alfonsum primum nunquam à Romano Pontifice fuisse confirmatum, ut nec Regem Alfonsum III. Ergo non &c.

Quod ad Regem Alfonsum primum attinet, ridiculum est, nimisq; puerile, nec ulli omnino rationi consentaneum, dicere Regem illum qui (ut supra commemorauimus) instructa acie paratus stabat ad pugnam cum Mauris juratis Christiani nominis hostibus ineundam, expectare debuisse licentiam aut confirmationem Ro-

50 DE IVRE SUCCESSIONIS  
mani Pontificis cùm in ipso campo Martio à suis Rex eligeretur. Illum inquā qui statim post acceptam Regiam dignitatem quinque Reges Mauros debellauit, ac penitus cum exercitibus deleuit. In cuius rei memoriam insignia sibi sumxit quæ Reges Portugalliae eius successores in hunc usque diem retinuerunt, viz. Scutum argenteum continens in se quinque scutula coloris azurij, ut vocat Heraldus. Quæ prima sunt insignia Regum Portugallie. Septem namque Castella postea adiecta sunt cum regno Algarbiorum.

Cœterum videamus (si libet) paulo accuratius actiones huius Regis Alfonsi, & quo pacto ipsi cum Pontifice Rom. & Legato quem ad eum miserat conuenerit, inveniemusque hominem fuisse non usque adeo addictum istis ceremonijs, nec quicquam curasse magis quam ut fortiter Mauris bellum inferret, de quibus etiam magnas & nobiles retulit victorias, multasque eorum civitates capitales sibi subiecit.

Chronica rerum ab eo gestarum, quæ in Turri Regia de Tombo vulgo dicta asseruantur, narrant eum, cùm aliquando Victoria potitus, matre bello cepisset, quæ eum voluerat exheredare, adeoque cum secundo marito suo Comite Galiciæ bellum

Insignia Re-  
gum Portu.

Chronica re-  
rum gestar.  
Alfonsi I.

Ium ei indexerat: monitum sc̄pius fuisse  
à Papa, ut matrem liberam dimitteret.  
Sed cùm Alfonsus prætuleret maxima in-  
de mala subsequitur ( quia nouerat ma-  
trem, si semel fieret sui iuris, non quietu-  
ram, sed turbas & factiones per totum  
Regnum suum excitaturam , quod illo  
tempore ipsi erat periculosisimum, ob  
grauissima bella contra Mauros, quibus  
tam totus detinebatur) Pontifici hac in re  
non obtemperauit. Quamobrem excom-  
municatus à Pótifice fuit, sacrisque inter-  
dictus cum omni Regno, præsertim verò  
ciuitate Coimbricensi, quæ tum antequā  
Vlissiponam Mauris eripuisse, Regni erat  
Metropolis. Rex hoc modo excommuni-  
catus (ut eadem narrat historia ) quodam  
die solus deambulabat meditabūdus, cùm  
forte ei occurrit Niger quidam de Guinea  
professione Sacerdos . Hunc Rex statim  
rogat nomen & num esset sacrificus . Re-  
spondit Niger se sacrificum & nomen ha-  
bere Celema. Tum Rex, Constituo (in-  
quit) te Episcopum Coimbricensem, abi  
indue vestem Episcopalem, & quampri-  
mum dicio mihi Missam. Quod alter fe-  
cit libens, mansitque Episcopus Coim-  
bricensis dum vixit.

Papa hoc intellecto, iá planissimè sibi per-  
suadebat, Regem reuera factū esse hæreti-

cum , misitque ei Legatum Cardinalem quendam de latere , vt vocant , vt in fide eum instrueret . Quamprimum Legatus iste appulit in Hispaniam , Rex Portugalliae fit certior de eius aduentu , & quo pacto iam Reges Arragoniae & Castellae ipsi ivissent obuiam , extra portas ciuitatis , ibique eum honorificentissime exceptissent , atque adeo manus eius essent osculati , quibus auditis , Rex subito in hunc modum respondit , Si quis in meo Regno coram me brachium extenderet ut manum mihi porrigeret osculandam , ego eam ipsi amputarem .

Tandem cum Legatus iste venisset etiam in Portugalliam , Rex non processit ei obuiam , nec hospitio exceptit , nec visitauit . Quo factum est ut in opinione , quam de eo iam conceperat , confirmaretur , videlicet quod Rex esset haereticus . Quapropter ipsem et prior in Regiam ipsum Regem adjicit quem Rex in porta expectans , introire non est passus , eumque his verbis compellauit . Misitne te hoc Sanctus pater , quod existimaret me esse haereticum , vtque institueret abs te in fide Christiana ? Audito igitur num fides mea bona sit , & ex tempore ibi coram Legato omnes articulos Christianae fidei ad finem usque recitauit , nihil omittens .

Tum

Tum eum interrogauit, si fides illa esset orthodoxa & proba, quod cum affirmaret Cardinalis. Nihil igitur est, inquit Rex quod aut tu hic agas, aut Papa se se immisceat administrationi mei Regni, Abito hinc & redi domum. Cardinalis inde ad hospitium suum reuersus, valde indignabundus, eadem nocte dictam ciuitatem Coimbricensem, totumque Regnum excommunicauit, ac rebus omnibus convatis sub diluculum ante auroru inde est profectus versus Castellam. Rex multo mane, de his quae egerat Legatus nunciū accipiens, intelligensque de matutino eius discessu vociferans equum subito sibi adduci iussit, solusque citato equo Legatum est prosequutus. Ad quem, cum tribus ab urbe miliaribus, in colle quodam peruenisset, proprius accedens, nullo habito respectu aut Legati aut Comitum eius, laua manu barbam eius appræhendit, elatoque ense manu dextera caput eius discidisset, nisi Cardinalis veniam sibi dari orasset, Regisque misericordiam implorasset. Quam gratiam Rex hac lege ei concessit, ut excommunicationem quam contra ciuitatem Coimbricensem, totumque Regnum suum effulminarat, reuocaret ac recantaret. Postulabat præterea Rex ut Papa bullam ad se mitteret,

qua sancte polliceretur, iuraretq; Regnū Portugal. nunquam deinceps posse excōmunicari. Quod Cardinalis libens se effe-ctū promisit eaq; ratione Regis manus euasit. Verum cum Rex se ad Comitatum eius & sarcinas quas cōuehebat Cardina-lis conuertisset, Nimijs (inquit) tu cū col-legis tuis abundatis Romæ diuitijs & plus satis vobis est reddituum & prouétuum vt abundē de omnibus vobis prospiciatis cū ego, cui quotidie cōtra Christiani nomi-nis hostes pro sancta fide pugnandum est, non habeā ynde militibus meis stipendia soluā. Propterea cupio vt hæ sarcinæ om-nisq; hic vestium apparatus aureaque & argentea suppellex quam circūvehis, apud me hic maneat, vt inter milites meos mer-cedis loco illa distribuam. Hocque modo cōmodius multo ibis, tāto leuatus onere. Postremoque adiiciens ne obliuisceretur mittere bullam illam quam promiserat hominem ita dimisit. Ille vero ad ciuita-tem Coimbricensem reuertens mulos Cardinalis Clitellatos pretiosasque pluri-mas sarcinas portantes, secum adduxit. Cūm vero Romam reuersus Cardinalis Papæ fortunas suas, euentus itineris ac Le-gationis suæ narrasset, ac præsertim illud de bulla, quam Regi erat pollicitus. Papa istis offensisus Cardinali grauissimè succē-suit.

suit. Cui Cardinalis si vidisses (inquit) sancte pater tam generosum & magnanimum equitatem, qui una manu barbam meam apprehederat, & altera ensem supra caput leuaret ut mihi illud abscederet, eiusque equum qui percussa terra iam sepulchrum mihi preparabat, non modo bullam illam, sed & Papatum ipsum ultro ei concessisset ut euaderes.

Ex his iudica si Rex iste fuerit multum ceremonijs istiusmodi addictus an verisimile sit huic fuisse religionem, Regiam dignitatem assumere antequam bulla Pontificia esset confirmatus, praesertim eo tempore quo iam cum hoste erat cōgressurus.

Quod ad Regem Alfonsum III. attinet, is nihilo fuit superstitionis altero. Nam cum duxisset vxorem Matildam Comitissam Bononiæ, liberosque ex ea suscepisset, accersitus fuit in Portugalliam ad Regni gubernacula. Postea factus Rex, viua Matilda duxit in uxorem filiam Regis Castellæ, à quo dotis nomine accepit Regnum Algarbiatum. Matildis priora uxor harum rerum ignorata assumitis secundum liberis ex eo procreatis naue conscientia, recta in Portugalliam contredit. Vbi vero appulit ad Cascais, Regem Alfonsum de aduentu suo certiorem fieri curauit, sperans se cum liberis splendide & honorifice ab eo iri exceptam. Quo intellecto, Rex remisit statim qui iuberet cum reuerti,

*De Rege Alfonso III.*

56 DE IURE SUCCESSIONIS  
quoniam iūm sibi prospexerat de alterā  
vxore, seque si opus esset, ad amplifican-  
dum regnum Portugallie vno tātum pe-  
de, ducturum etiam alias insuper quatuor  
aiebat: cum hoc responso Matildem in  
Galliam ad Comitatum suum Bononien-  
sem remittens. Interea mirandum est Al-  
fonsum xi. Regem Castellæ ei voluisse  
dare filiam suam in vxorem, & cum tali  
dote. Nam ambitio plerunque ita obcæ-  
care solet hominum animos, vt subinde  
faciat perdere rectum usum rationis. An  
putabimus etiā hunc Principem tam fu-  
isse superstitionis, vt expectarit bullam  
Pontificis quā confirmaretur, postquam à  
populo in Regem legitimè esset electus.

Manifesta igitur est, ex his quæ hacte-  
nus dicta sunt, iniustitia & tyrannis Regis  
Castellæ Philippi, in usurpatione Regni  
Portugallie. Quo, contra leges regni Por-  
tugallie, vt Tyrannus, contra leges æqui-  
tatis, & propriæ conscientiæ testimonium,  
vt iniustus & improbus, contraque leges  
nature vt inhumanus, consobrinum su-  
um Antonium Portugal. Regem & hære-  
dem verum & legitimum vi doloque de-  
turbauit.

Neque hoc quidem ipsi est satis, sed ad  
summam iniustitiam, improbitatem, &  
inhumanitatē aliam atque aliam insuper  
ad-

Claudius  
Seyffellus  
Lud. 12. Con-  
siliar. & Ar-  
chiep. Taurin.  
lib. de Monar.  
Franc.

addere conatur Hispanica illa & insatiable regnandi libidine adeo transversum raptus, ut vix unus ipsi suisque Hispanis hodie sufficiat orbis. Quod ex eo manifestè est animaduertere, quod nullam fere orbis partem intentatam reliquerint, quā non multis calamitatib. malisque adimplerunt, aut cui saltem se potentia sua non reddiderunt intolerabiles.

Huius tei testes locupletes & plusquam sufficientes nobis sunt cruenta & perniciosissima bella olim excitata ab illis in Germania, quorum multi etiamnum hodie non sine dolore possunt recordari.

Vsurpatio seu invasio quarundam Provinciarum, & ciuitatum principalium in Belgio, ad Imperium pertinentium, contra omnes leges iura & consuetudines locorum istorum facta. Infinita sanguinis innocui apud Belgas effusi copia tam nobilium quam aliorum, horrendæ, lanienæ & sanguinolentæ mactationes multarum myriadum hominum innocuorum in India & Granata. Dominatio absoluta iniustis malisque artibus parta in regno Neapolitano, Ducatu Mediolanensi & plurimis alijs locis in Italia. Tyrannica detentio Regni Nuarreni, excluso inde vero & legitimo Rege & herede, præsente Rege Franciæ. Execranda & detestanda

58 DE IURE SUCCESSIONIS  
illa expeditio, qua vniuersam Angliam &  
Hyberniam iam animo suo deuorarant,  
& inaudita crudelitate, nulla ætatis, sex-  
us, aut ordinis habitâ ratione omnes affi-  
cere constituerant. Ereptiones & deten-  
tiones multarum ciuitatum in Germania  
pertinentium ad S. Imperium. Periculo-  
sissimæ toti Christianitati turbæ, non ita  
nuper commotæ in Polonia. Secretæ ma-  
chinationes, & stratagemata, toto hoc  
tempore, fota & nutrita in Scotia. Intel-  
ligentiæ & correspondentiæ suorum Pen-  
sionariorum in omnibus omnium ferè  
Christianorum Principum aulis, per quos  
de omnibus consilijs quæ vbique agitan-  
tur per Europam fiunt certiores. Postre-  
mo, nimis aperta vis, quam nullo freti iu-  
re, hodie inferunt, coram oculis totius  
Christianitatis, Regi, Regnoque Franciæ,  
adeo ut non amplius dissimulent se ad  
vniuersam totius orbis Monarchiâ aspi-  
rare, & hoc non modo palam dicitent,  
quotidianisque sermonibus usurpent, sed  
re ipsa, vt iam ostendimus, & omniū con-  
siliorum, actionum, rationum, rerumque  
gestarum certissimis atque indubitatis  
indicijs aperte confirmant. Nec ipsorum  
refert quo iure, quaque iniuria instituti sui  
finem consequantur clam, palam, vene-  
no, gladio, sica, periutijs, proditione, in-  
cen-

cendijs, bello, pace, per laicos an per Monachos seu Clericos. Omnia ipsis inseruiunt, modo ad vniuersalem orbis Monarchiam quam iam diu animo conceperunt, & in perniciem omnium Christianorum Principum & rerumpubl. ergere decreuerunt dictis modis consequantur.

Ad cuius mali remedium utinam Principes Christiani ( quorum tātopere interest ) tandem aliquando expurgiscerentur, & post tantas moras & patientiam , vires & consilia coniungerent , ad compescendam nimis effrenatam regnandi libidinem huius perturbatoris pacis publicæ, per totum orbem Christianum, reprimēdosque temerarios ausus, iniustosque conatus usurpatoris omnium Regnorum & ditionum ad quos potest pertingere.

Quod facillimè, commodissimeq; fieri posset, si in proprio solo Hispanico bellū ei moueretur, Regione aperta , inermi, male habitata, sine milite & apparatu bellico , sine ciuitatibus munitis aut arcibus ad bellum instructis.

Facilitatem vero negotij huius per occasionē Regis Antonij ( cuius iustæ causæ omnes Principes iustitiae studiosi fauere debebāt) ex eo quiuis intelliget ubi considerauerit Partugallēses iuratos esse hostes

60. **D E I V R E S V C C E S S I O N I S**  
Castellanorum, cuius nationis naturaliter  
sibi exose intolerabile iugum cum iāferre  
cogantur inuiti, quid existimamus eos ma-  
gis indies optare, quām vt Deus aliquan-  
do eorum misertus, aliqua ratione ab ista  
seruitute Hispanica eos liberet? Cuius  
iam certam experientiam vidimus cum  
Angli nuper expeditionem in Portugal-  
liam susceperunt. Portugallenses enim  
nunquam pro Philippo arma contra eos  
sumserunt, sed contrā, omnibus modis  
quibus potuerunt eos iuuernit, commea-  
tum aliaque necessaria abundē eis quā-  
ibant suppeditantes.

Deus qui iustitia ipsa est, & corda  
Principum in manu sua habet vt de ijs di-  
Iponat pro sua voluntate, quique iniusti-  
tiā nunquam inultam reliquit, nec affi-  
ctos qui nomen eius inuocarunt deseruit.  
Pro ineffabili sua clementia animos Prin-  
cipum Christianorum, ab hoc Tyranno  
grauissime lœforum, excitare dignetur, vt  
vnanimes causam istam justissimam am-  
plexantes Regi legitimo contra ius Diui-  
num & humanum, aucto Regno suo de-  
turbato succurrere in animum inducant.  
Eaque ratione & Regem A N T O N I U M  
& scipios ( nam causa Principum om-  
nium communis est) in libertatem vindicent.  
Quo & prudentiae & iustitiae sum-  
mam

mam commendationem ad posteritatem  
transmittent, quæ eos celebrabit quod  
suo tempore non permiserint ut Tyrannus  
aliquis potentia sua fretus omnium  
Europeorum Principum Regna & ditio-  
nes, quas jure naturali & gentium tene-  
bant, impunè passim usurparet.

F I N I S.

# Tabula Genealogica præsentis scripto conueniens.

EMANUEL primus eius nominis Rex Lusitanie, qui Ioanni 2. patrueli suo in Regno successit, vel potius à populo electus est. Tres habuit Vxores

<sup>1</sup>  
Isabellam, Ferdinandi & Isabella Castella Regum filiam, ex qua unicum tantum habuit filium Michaelem, an. 1499. qui antequam ad secundum aetatis annum peruenisse, obiit anno Christi 1500.

<sup>2</sup>  
Mariam, prioris coniugis Sororem Germanam ex qua suscepit nonum liberos, quorum hac sunt nomina.

<sup>3</sup>  
Eleonoram Caroli V. Imp. Sororem, ex qua procreatis filio Carolo, qui in infantia obiit, & filia Maria, que in celebata vita finit, viuis excessit, superstitio Eleonora, coniuge que postea nupsit Francisco I. Frac. Regi, ex quo nullis relictis liberis obiit an. 1558. Feb.

<sup>1.</sup>  
Ioannes III. Rex Portugallie post patrem, Isabella cuius Vxor Catharina filia Philippi 1. Vxor Ca Regis Castella & Archiducis Austriae &c. roli V. soror Caroli V. Imp. Sapienti ei peperit, sed Imp. reliquis liberis in infantia mortuis superstites manserunt.

<sup>2.</sup>  
Beatrix, Ludouicus qui Ferdinandus, qui

que nunquias Clandestinas cum Ieronimis Portugal lenta contraxit procreavit filios vi- ci Sebauer est.

<sup>5.</sup>

Alfonsus, Henricus Cardinalis & Rex Eduardus, Antonius ex filia Comitis de Cardinalis Portug. post Sebastianum. 1578 qui ex uxore Infans Isabella filia obiit. Huic successit in Regno Antonius qui debuerat praefectus Iacobi Duci sisse cum iure primogeniture Bargantie patris sui Luonici. procreavit.

<sup>8.</sup>

Mariam, Catharina Eduardum, nam, que dum, qui Alexandri nupsit Jo- calebs o- Farnesy, anni Du- bius. Ducis ci Bargan- Parmen- tia.

<sup>9.</sup>

Maria, Vxor Ioannes, Principe Philippitum ceps Portug. du- Principis HNC xii Ioannam si- Regis Castel- liam Caroli V. ba. Imp. ante pa- trem obiit anno 1554.

<sup>10.</sup>  
Ioanna, vxor Philippus II. Maria, Vxor Ioannis Por- Rex Castella. Maximilia- ni 2. Imp.

Emanuel, Philibertus qui an- cum a popul. electus 19. Junij 1580. in ci- no 1580. moriens uitate Santarenensi. Dein confirmatus in reliquit ex ma- gareta Henrici Postea in ciuitate Setubal. ab omnibus Re- 2. Franc. Regis gni ordinibus. Receptus quoque & agnitus pro Rege ab omnibus oppidis & arcibus continentis Africa, Insularumque qua Re- gno Lusitania sunt subiecta.

Mariam, Cathari- Eduardum, nam, que dum, qui Alexandri nupsit Jo- calebs o- Farnesy, anni Du- bius. Ducis ci Bargan- Parmen- tia.

Carolus, Princeps Castell. que ut fama co- stans est) pa- ter in car- cere necari- infisit.

Sebastianus, posthumus Rex Portug. post auum paternum, an. Chr. 1557. etatis 3. quia pater iam ante an. 1554. decesserat hic occi- buit sine liberis an. 1578. etatis 24. die 4. Augusti in pugna contra Regem Fessa Maroccorum in Africa ad Alcazar, ubi & Antonius fuit captus, quem Deus mira- lose inde liberavit.

Rudolphus, Imp. & fra- tres.

Carolum, Ema- nuclem presen- tem Ducem Se- bandia.

Raynu- tius & frater.